

nes legisset, de Ambrosiana & Vossiana Ephraemi editione, fuitis actus, sic pronuntiavit in suo Critici Sacri Specimine lib. 3, cap. 21, pag. 334. *Quum vero Latine versiones nostra aut Patrum nostrorum memoria proderint, quibus contra Papatus corruptiones tot controversiae sint excitatae, cuiusque notus est Pontificiorum candor, etiam in illis Scripseribus exurgendis, qui omnibus sunt ad manum, & quos impure conspurcare in tanta testium luce vix licet; indubium erit interpretes superstitiose parti addidos, Autoris verba & mentem contorsisse, mutasse non pauca, alia addidisse, nonnulla etiam supposuisse. Deus bone! Indubium erit? Unde hoc Rivetus colligit? Vidit ne Graecum exemplar a Latina versione alienum? Legit Syriacum textum, ex quo deprehenderit, interpretes Latinos verba & mentem Ephraemi contorsisse, mutasse non pauca, alia addidisse, nonnulla etiam supposuisse? Enimvero Bibliothecas Italiae, Germaniae, Galliae, Angliae adire debuit, ut veram de Ephraemi scriptis sententiam proferret. Ibi enim vidisset Codices seculo octavo, nono, aut decimo antiquiores, qui Vossii, Zini, Ambrosii in interpretando fidem commendarent. Quod quum Rivetus non fecerit, sed ex impotentis animi licentia, quin textum ipsum inspiceret, interpretationes damnare ausus fuerit, videat quam bene in ipsum quaderet illud dictum Iudae Apostoli: *Illi autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant: quaecumque autem, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* Excerptunculae, quas idem Rivetus scriptis Ephraemi loco citato intentat, *lexes plane sunt & friviles*, ut inquit *Gulielmus Caveus* tom. 1. pag. 133. easque doctè refellunt *Tillemontius* tom. 8. pag. 746. *Dupinius* tom. 2. pag. 147. *Natalis Alexander* Hiltor. Eccles. tom. 4. pag. 136.*

His itaque doctorum virorum luculentis de Ephraemo testimonis tum ad comprobendam quam de eius operibus habuere existimationem, tum ad retundendas obreptatorum calumnias, in medium allatis, Catalogum eorumdem operum subieci, quotquot vel typis prodidit, vel in Codicibus manu exaratis extitare comperi. Et primum quidem *Latinos Sermones*, deinde *Graecos* enumeravi.

Qui autem *Latine* reperiuntur, eos bifariam distribui: nam primo loco per Catalogi feriem illos retuli, quorum est Anonymus interpres, sive in typis impressi sunt, sive manu scripti extant in Bibliotheca Vaticana, aut in Bibliothecis Germaniae, Galliae, Angliae & Hiberniae: tum vero eos subijunxi, qui certum nati sunt interpretem, aut editorem: *Ambrosium*, inquam, *Camaldulensem*, *Petrum Franciscum Zinum*, *Aloysium Lipomannum*, *Laurentium Swinum*, *Cnidem Fabricium Boderianum*, *Joannem Cardinalem Bonam*, *Gerardum Vossium*, *Jacobum Gretserum*, *Abrahamum Ecbellensem*, *Bollandianos Socios*, *Claudium Chantelou*, *Franciscum Combefi-*

*sium*, *Joannem Baptistam Cotelierum*, & *Laurentium Alexandrum Zaccagnium*. Qua in recensione primam, quoad fieri potuit, editionem investigavi, sicutis uniuscujusque sermonis initiumque indicatis: illud etiam in tribus praecipuis Interpretibus, Ambrosio, Zino, ac Vossio, praestiti, ut eosdem sermones, quos cum manuscriptis & impressis libris contuli, ordine quoque Alphabetico disponerem, quo obvium quemque tractatum sive editum, sive manu exaratum uno conspectu lector posset, cujus ille interpretis sit, cognoscere.

Denique, ut plena haberetur omnium eorum, quae Graece exstant, quaeque a nobis in tribus Tomis cum Latina versione, Deo dante, evulgabuntur, operum Sancti Doctoris notitia, Catalogum, quantum licuit, accuratissimum descripsi ex Bibliothecis Vaticana, Basiliana, Barberina, Orthonobona, Ambrosiana, Mediceo-Laurentiana, Caesarea Vindobonensi, & Coisliniana: item ex Bibliothecis Angliae, Hiberniae & Bataviae, ex quibus Oxoniensis Graeca editio confecta est: nec non ex iis, quas Possivinus in suo Apparatu enumeravit: atque ac forma Codicum manuscriptorum designata, & initis omnium quotquot reperiuntur Graecorum tractatum, scholorum, fragmentorumque alphabetica serie dispositis. Ita arbitratus & quemlibet sermonem nullo negotio a quolibet reperituri; & quae nostram notitiam fugerint, vel alicubi delitecunt Graeca Ephraemi scripta, nobis per literas facile ab iis significari posse, quos Typographus noster in Monito his verbis rogaverat. *Itaque sacrarum literarum studiosos etiam atque etiam obtestamur, ut in Bibliothecis seu privatis seu publicis, quae apud ipsos sunt manuscripta exemplaria Sancti Ephraemi diligenti manu versantes, si quis sermo, aut cuiusvis generis Tractatus in illis occurrerit, vel in Romana, vel in Oxoniensi editione desideratus, accurate advertent, ac certiores nos reddant, ut collatione facta cum Codicibus Vaticanis ... si forte nova illa in iisdem minime comperiantur, ea sumptibus nostris describi, ac Romam transmitti curemus: qua ratione magno quidem literariae, quae totius Christianae reipublicae beneficio luculentissima, ut speramus, prodibit editio. Id quod & Gerardus Vossius ab eruditissimis olim optaverat in Epistola ad Lectorem tomo primo praemissa, quae a nobis hic pag. LVI. descripta est.*

Haec sunt, EMINENTISSIME PRINCEPS, de quibus Tibi scribendum esse existimavi, ut & scopum mihi propositum, & methodum a me in hoc opere servatam intelligeres: ex quo siquid Tibi, ac doctis viris iunctum, siquid sacris studiis promovendis utile accideret sensero, me suscepti laboris, quidquid molestiae tædique attulerit, nequaquam poenitebit. Quae vero generatim atque univèrse Tibi haecenus enarravi, de iis singillatim & per partes in sequentibus Prolegomenis pertractabo.

Ex Biblioth. Vatic. Nonis Augusti MDCCXXXII.